



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Lvem Contagiosam Aliosque Morbos**

**Wichmans, Augustin**

**Antverpiae, 1626**

Pridie Kalend. Iulij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9653**

ninum Archiepiscopum Florentinum, sanctorum numero adscriptis anno 1523. solennitatemque S. Bennonis retulit ad 16. Iunij, deditque plenariam indulgentiam ea die Misnensem Ecclesiam visitantibus. Diploma Pontificium Canonizationis hactenus asseruatur Romæ in Ecclesia S. Mariæ de Anima, nationis Teutonicorum.

*Pridie Kalend. Iulij.*

30. Iun.

Lemouicis in Gallia S. Martialis Episcopi cum duobus presbyteris Alpiniano & Austricliniano, quorum vita miraculorum signis admodum effulsit.

Vide cap. 35. Apoth Spirit. fol. 188.

**I**N Apothea mea cap. de S. Martiali, dixi hunc meritò vocandū esse Galliæ Apostolum, ita enim à sede Apostolica definitū reperio. Anno siquidem 1029. Lemouicis celebrata est Synodus sub Gauselino Archiepiscopo Bituricensi, & Iordano Episcopo Lemouicensi in causa tunc tēporis in Aquitania controuersa, nimirum, essetne hic Sanctus Episcopus in sacris precibus vocandus *Apostolus*, sicuti in Ecclesia Lemouicensi hactenus fiebat: contradicentibus nonnullis atque contendentibus non *Apostolum*, sed, *Confessorem* tantummodo nominandum esse. Ad cuius controuersiæ decisionem non solum iam dicta Synodus, sed & Bituricensis ac Pictauiensis celebratæ fuerunt; tandemq; à Ioanne XII. Pontifice Rom. rescriptum fuit, S. Martialem Apostolum dici ac vocari debere. Potuisset quidem hoc citius amica sententia definiri. nempe non tantum illos Duodecim, sed & reliquos Discipulos dictos reperiri Apostolos; insuper & in Ecclesia eo nomine decoratos omnes qui legitime missi ab Apostolica Sede, populos ad fidem Christianam conuertissent: verum cum semel quid deducitur in controuersiam, crescentibus studijs, quamuis minimum, in immensum augeri solet. Ex eo insuper quod hic sanctus Episcopus vocet se in epistolis suis, *Martialem Cepham*, suspicati sunt olim nonnulli, hunc esse eundem illum Cepham cui Paulus dicit se in faciem restitisse, ad Galatas 2. quod quàm probabiliter dicatur, vide apud Baron. & eius loci Cōmētatores, quorū recepta sententia est, Apostolū Petrū ibi intelligi.

Baron. anno. 1029.

D 2

JVLIVS